illuminat intellectum:ut dirigat via
torem ad terminũ. ⁊ hoc signatuȝ est
in illuminatione ceci per linitionem
sputi. Joh.x. Item mouet affectum
ex pregustatione suauitatis eterne ne
torpeat in operatõne. ⁊ hoc significa
tum est in hoc loco in tactu lingue.
Lingua eñ est instrumentum gustꝰ
⁊ iste sensus nõ nisi in extremitate illi
us sicut ait aristotiles. vnde extremi-
tatem lingue huius muti tetigit xpi
stus.
Quarto suspexit in celuȝ:docens nos
dirigere intentionem ad finem:ut e-
terna bona ꝯsideremus ⁊ affectemus
Ysaye.xl. ¶ Leuate in excelsuȝ oculos
vestros.
Quinto gemuit:docens nos flere ꝓ
desiderio patrie. ⁊ incolatu presentis
miserie. Psalmista ¶ heu mihi. ꝙ in
colatus meus ꝓlongatus est.
Sexto ait effeta quod est adaperire.
quod verbuȝ quante potentie fuerit:
patet cum subditur. Et statim aper-
te sunt aures eius:ut per eas verbuȝ
vite intraret ad animam Ysa.l. ¶ Do
minus deus aperuit mihi aures ¶ ⁊
solutum est vinculum lingue eius. et
loquebatur recte. Recta locutio est:
cum os concordat cordi ⁊ operi. Vn
de ⁊ rectum dicitur cuius mediũ nõ
exit ab extremis. Medium est locutõ
Extrema sunt voluntas ⁊ opus. Ma-
thei.vij. ¶ Non omnis qui dicit mi
hi domine domine ⁊c. Iheronimus
Beata lingua que nunꝙ̃ nisi de deo
nouit construere sermonem. Ysaye.l.
¶ Dominus dedit mihi linguam e-
ruditam ⁊c.

¶ Dominica decimatercia.

¶ Epistola. Galath.iij.

FRatres. abrahe dicte
sunt ꝓmissiones ⁊ semini eiꝰ
Non dicit. ⁊ seminibꝰ: qua
si in multis:sed quasi in vno. ⁊ semine
tuo qui est xp̃us. Hoc autem dico te-
stamentum confirmatum a deo:que
post quadringentos ⁊ triginta annos
facta est lex. Non irritum faciet ad e
uacuandam ꝓmissionem. Nam si ex
lege hereditas:iam non ex ꝓmissione
Abrahe autem per repromissionem
donauit deus Quid igitur lex. ꝓpter
transgressiones posita est donec veni-
ret semen cui ꝓmiserat ordinata per
angelos in manu mediatoris. Medi
ator aũt vnius non est. deus autem v
nus est. Lex autem aduersus ꝓmissa
dei. absit. Si enim data esset lex que
posset viuificare:vere ex lege esset iu-
sticia Sed conclusit scriptura omnia
sub peccato:ut ꝓmissio ex fide Ihesu
xp̃i daretur credentibus.

¶ Euangelium Luce.x.

IN illo tempore. Di
xit ihesꝰ discipulis suis. Be
atĩ oculi qui vident que vos
videtis. Dico aũt vobis. ꝙ multi re-
ges ⁊ ꝓphete voluerũt videre que vos
videtis ⁊ non viderunt. ⁊ audire que
auditis ⁊ non audierunt. Et ecce qui
dam legisperitus surrexit: temptans
eum dicens. Magister quid faciẽdo
vitam eternam possidebo. At ille di
xit ad eum. In lege quid scriptũ est.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-182/0480
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG